✠

CIVITATI HISPALENSI

NOBILISSIMÆ, FIDELISSIMÆQUE, &c.

SE, SUASQUE

THESES THEOLOGICAS

EX TRIGINTA

S. P. AUGUSTINI

EPISTOLIS ERUTAS

P. Fr. BENEDICTUS EUGEnius Ponze, Collega S. Acacij, in ſui, & nomine Præſidis P. Fr. Petri Garrido, Veſpertinæ Cathedræ moderatoris, & Bibliothecæ ad Publicam vtilitatem Bibliothecarii

HUMILIME CONSECRAT.

Nacto Permiſſu : Hiſpali , Typificio Majori ejusdem valdè Nobilis , maximèque Fidelis Civitatis.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

NOBILISSIMO, ET FIDELISSIMO

S. P. Q. H.

SI Patrocinium, Tuamque ergà me benevolentiam, religioſo, vt fas eſt, obſequio rependere

ſtudeam, quamplurima gratitudini occurrunt, quæ plura folia, clariſsimoſque libros adimplere ſufficerent. Sed non diffuſum intendo ſermonem. Stylo brevi, impar obſequium meum ad Aras Tuas exponendum curabo. Fidelitas ergò, & nobilitas Principem exaltant, exornant, perluſtrant; & phœbo clariorem venditant æternam Tuam fidelitatem ergà Noſtros Hiſpanicos Reges Fama perſonat, rumorem gratiſsimum vltrà mare, imò vsque ad terræ remotiſsimos fines evehit, expargit; Te ſolam Fideliſsimam, experientiâ, omnes invident; omnibus æmulatio facta, ni dicam omnium es clariſsimæ fidelitatis exemplum, & norma. Quinimò Tu Fideliſsima omnium prima copioſiſsimum ærarium Regi noſtro Catholico obtuliſti, vt bellicum inimicorum evinceret furorem, vt ſuſtineret ſceptrum, vt imminentes redimeret anguſtias. Non antiquitatem conſulam. Temporibus hujus noſtri ſæculi hoc obſequium, Tuam Fidelitatem proſpeximus,

le-

legimus, & si fas est, testabimus. Nec imparem esse Fidelitati Tuæ Nobilitatem clarissimam, perantiquæ probant Historiæ, quibus occurrendum non est. Loquantur perillustres Senatores Marchiones, Duces, quibus Tuum Corpus splendescit, qui, & Tua Capitularia insignia in gratissimam sui memoriam habere se jactant. Demùm, si beneficentia proprium est nobilitatis argumentum, Cives clamant se Tuis magnificis impensis à temporis angustiâ pluriés redemptos. Te, inquam, ergà me, Excellentissime Princeps, beneficentissimum aliàs fuisse, non diffitebor. Itaquè præsens munusculum, leve quidem per exiguos meorum in S. P. Augustini Doctrina studiorum fructus, propitio, clementique, vt assoles, vultu dignare. Quod si Solis in morem collibus simul, vallibusque beneficio radiorum cultu fæcunditatem inspirantis, jacens ingenium meum Patrocinio tuo evexeris, maturiores literarios fætus Auspicatissimi Nominis tui honore obsignandos polliceor, Interim

Mag-

Magnitudinem tuam, Nobilitatem clariſſimam, Fidelitatem ſingularem in Ævum duraturam à Superis deprecatus, demiſſo animo, vultuque ſtudia laboris mei in hac Publica Bibliotheca devoveo, &c.

IN-

INTRODUCTIO.

ENIM VERò CUM JAM SIT INDUbitatum Editionem Epiſtolarum Auguſtinianarum poſtremam Pariſienſem an. 1679. ceteris omnibus præferendam eſſe, & Epiſtolas enumerare eo ordine, quem S. Parens Auguſtinus exoptat in fin. prologi Retract. earum ſeriem Nos ſervaturi ſumus.

CLASSIS I. *CONTINENS TRIGINTA Epiſtolas, quas S. Parens Auguſtinus ſcripſit nondùm Epiſcopus ab anno Chriſti* 386. *ad* 395.

PHILOSOPHICA-CRITICA.

EPISTOLA I. ad Hermogenianum aliàs 213. ſcripta circ. finem an. 386. tres Libros, quos Auguſtinus ſcripſit contra Academicos, ſupponit abſolutos. Et quoniam præcipuum hujus Epiſtolæ argumentum eſt, Auguſtinum Librorum de Academicis aperire conſilium, & Hermo-

mogenianam Sententiam rogare de eo, quod sub finem tertii libri de iisdem Philosophis pronuntiavit: asserimus, S. Parentem duo illa redarguisse Academicorum effata: *Nihil percipi posse*; *Nulli rei debere assentiri* in lib. 3. c. 10. n. 22. Sanctamque Matrem Monicam (quæ, vt inquit S. Parens, ipsam prorsùs arcem Philosophiæ tenuit) justam de ipsis protulisse Sententiam per hæc verba: *Isti homines Caducarii sunt*. Lib. de Beata Vita in fin. disput. 1. diei.

MORALIS.

IN Epistola II. aliàs 214. scripta circa idem tempus, Zenobio Augustinus exponit suum desiderium, vt disputationem (in Libris de Ordine) inter se cæptam, inter se finiant. Et quia haud dubiè Zenobius is est, cui nuncupati sunt Libri de Ordine editi exeunte an. 386: opus quidem, quod, vt S. Parens scribit lib. 1. Retr. c. 3. sic incipit: *Ordinem rerum Zenobii*, fateturque in eisdem magnam versari quæstionem, & ad intelligendum difficilem, satisque ægrè ad eorum perceptionem, cum quibus agebat, disputando, posse perduci, de Ordine studendi loqui maluit, quo à corporalibus ad incorporalia potest profici. Quapropter noscimus, tunc studia proficua esse, quando præcepta sequentia, & exequantur, & edocean-

ceantur. „ Adolescentibus ergò studiosis ita vi-
„ vendum est, vt à venereis rebus, ab illecebris
„ ventris, & gutturis, ab immodesto corporis
„ cultu, & ornatu, ab inanibus negotiis ludo-
„ rum, à torpore somni atque pigritiæ, ab
„ æmulatione, obtrectatione, invidentia, ab
„ honorum, potestatumque ambitionibus, ab ip-
„ sius etiam laudis immodicâ cupiditate se abs-
„ tineant. Amorem autem pecuniæ totius suæ spei
„ certissimum venenum esse, credant. Nihil ener-
„ vitèr faciant, nihil audacitèr. In peccatis autem
„ suorum vel pellant omninò iram, vel ita fræ-
„ nent, vt sit pulsæ similis. Neminem oderint.
„ Nulla vitia curare velint. Magnoperè observent
„ cùm vindicant, nè nimium sit; cùm ignoscunt,
„ nè parùm. Nihil puniant, quod non valeat ad
„ melius: nihil indulgeant, quod vertat in pejus.
„ Suos putent omnes, in quos sibi potestas data
„ fuerit. Ita serviant, vt ejus dominari pudeat:
„ ita dominentur, vt eis servire delectet. In alie-
„ norum autem peccatis molesti non sint invito.
„ Inimicitias vitent cautissimè, ferant æquissimè,
„ finiant citissimè. In omni verò contractu, &
„ conversatione cum hominibus, satis est servare
„ vnum hoc vulgare proverbium: Nemini faciant
„ quod pati nolunt. Rempublicam nolint admi-
„ nistrare, nisi perfecti. Perfici autem vel intra
„ ætatem Senatoriam festinent, vel certè intra

 ju-

„ juventutem. Sed quisquis serò ad ista se convertat„ terit, non arbitretur, nihil sibi esse præceptum: „ nam ista vtiquè faciliùs decocta ætate servabit. „ In omni autem vita, loco, tempore, amicos, „ aut habeant, aut habere instent. Obsequantur „ dignis etiam non hoc expectantibus. Superbos „ minùs curent, minimè sint. Aptè, congruentèr- „ que vivant. Deum colant, cogitent, quærant, „ fide, spe, charitate subnixi. Optent tranquilli- „ tatem, atque certum cursum studiis suis, om- „ niumque sociorum, & sibi quibusque possunt „ mentem bonam, pacatamque vitam.

THEOLOGICA.

EPistolam III. ad Nebridium, olim 151. scrip. an. 387. Augustinus ex Agro Cassiciaco dedit. Ex n. 4. deprompsimus, pulchritudinem corporis consistere in partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Quarè conformitèr ad hæc, subscribimus vltrò ac lubentèr opinioni Theologorum, ac Criticorum, qui Christi Corpori concedunt singularem venustatem in apta partium dispositione, convenienti staturâ, ac temperato colore constitutam.

PHI-

EPistola IV. aliàs 97. scrip. circa id. temp. Augustini est ad ipsum Nebridium. At ex hac colligimus, aliàs (quæ nunc desiderantur) scriptas esse à Nebridio literas, quibus familiari libertate ab Augustino amico ejus petierat quantum profecisset in *sensibilis, atque intelligibilis naturæ discernentia* vt ex n. 1. „ Hicque S. Parens
„ inquit: Sed non arbitror, ocultum tibi esse, si
„ falsis opinionibus tantò quisque inseritur magis,
„ quanto magis in eis familiariusque volutatur,
„ multò id faciliùs in rebus veris animo accidere.
„ Ita tamen paulatim vt per ætatem proficimus.
„ Quippè cùm plurimum inter puerum, & juve-
„ nem distet, nemo à pueritia quotidie interro-
„ tus, se aliquandò juvenem dicet ... Et n. 2. sic:
„ Nam plerumquè perturbatos, & sensibilium
„ plagarum (id est phantasiarum) curis refertos
„ mentis oculos illa tibi notissima ratiuncula in
„ respirationem levat, mentem, atque intelligen-
„ tiam oculis, & hoc vulgari adspectu esse me-
„ liorem: quod non ita esset, nisi magis essent
„ illa, quæ intelligimus, quàm ista, quæ cernimus.
Hanc responsionem defendimus.

Epistolæ V. olim 94. scrip. circ. fin. an. 388. & VI. aliàs 71. scrip. circ. init. an. 389. sunt ejusdem Nebridii. In quarum 1. brevi, & eleganti optat, vt Augustinus in rus suum concedat, & quasi angitur æmulatione, quod nimiùm ametur à Civibus Thagastensibus: velet enim, vt à negotiis aliquantulùm cessaret, ac secum literarum otio frueretur ... In altera autem Epistola quærit Nebridius, quid sit discriminis inter phantasiam, & memoriam? Cui Epistolæ, & quæstioni respondet S. Parens.

Epistolà VII. aliàs 72. scrip. cit. id. temp. in qua ostendit, & Nos, ipsum sequentes, ostendemus, memoriam absque phantasia esse posse: phantasiam verò non nisi ex sensibus derivari ... Utque faciliùs percipiatur isthæc responsio, imaginum, quas phantasias Nebridius nuncupat, tria genera S. Parens cap. 2. n. 4. explicat; quorum enim est sensis rebus impressum: alterum putatis, tertium ratis.

THEOLOGICA-CRITICA.

In Epistola VIII. olim 245. scrip. paulò post sup. Nebridius petit ab Augustino, quomodo imagines, ac somnia subrepant dormientibus, & qua ratione à Superioribus Potestatibus vel à Dæmonibus inferantur? Huic S. Parens respondet.

EPistolâ IX. aliàs 115. scrip. circ. id. temp. in qua laudat Nebridii ingenium, commendat Epistolas, solvitque propositas quæstiones, explicans, quomodò animus vestigia sui motûs figat in corpore, appareantque illa *aereis, æthereisque animantibus*. Verùm cùm Nostra sit, quando S. Parentis Augustini honor lacessitur, ipsum ab adversariorum dictis vindicare; non immeritò pro nunc asserimus; quòd etsi putemus *horum animantium nomine* Augustinum significasse Dœmones, quibus illa ætate corpus aliquod attribuebat; contemnendas esse objectiones, & Adami dicentis, docuisse Augustinum, *Animas, & Angelos esse corporeos, ac solùm Deum esse immaterialem*, pag. 585. & Moraines scribentis: *Sentit etiam, Angelos, & Dæmones esse corporeos* ... Postremò, S. Parens n. 4. sic iram definit: Ira est turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt.

M O R A L I S.

IN Epistola X. olim 116. scrip. circ. id. temp. ait Augustinus receptas à se literas Nebridii recentissimas, quibuscum arguebat, quòd considere negligeret, vt simul vitam traducerent. Et n. 2. sic S. Parens loquitur: *Profectiones ergò quas quietas, & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam non est hominis de illa vna vltima,*

quæ

quæ mors vocatur, cogitantis; de qua vel sola intelligis verè esse cogitandum.

THEOLOGICA.

EPistola XI. aliàs 218. scrip. circ. id. temp. ad eumdem Nebridium. In ea quæ S. Parens, vt ex n. 2. assumit quæstionem, cùr in mysteriis, & Sacris nostris hominis susceptio Filio tributa celebratur? Nos igitur quid S. Parenti ergà hoc quæsitum visum fuit: in sequenti propositione demonstramus: Hominis susceptio soli Filio tribuitur cum Personæ Divinæ sint inseparabiles.

EPistola XII. quæ itidem Nebridio est olim 269. scrip. circ. id. temp. Quæstionem in superiori Epistola perstrictam, iterùm tractandam suscipit S. Parens. Et quamvis dicat, id quod de Filio Dei quæritur, cùr ipsi potiùs dicatur hominem suscepisse, quàm Pater, cum simul vterque sit, ineffabile quiddam esse, dignosci facilimè posse, si præ oculis mentis habeamus hanc expositionem: *Disciplina ipsa, & forma Dei, per quam facta sunt omnia, quæ facta sunt, filius nuncupatur.*

EPistola XIII. olim 218. scrip. fortè an. 389. certè ante an. 391. eruitur inter Nebridium, & Augustinum crebrò fuisse disputatum de quodam *quasi corpore animæ*, *quod vehiculum* apellabant. Quam tamen quæstiunculam vt ex n. 2. Augustinus dimittendam existimavit, quoniam videbatur, posse ex illa gigni temerariam nimis, atque nugatoriam opinionem. Exindè S. Parens ad Filios suos monita dirigens, quid similibus in controversiis, quæ ad ingenii exercitationem agitantur, sit ipsis agendum.

PHILOS. CRITICA.

EX Epistola XIV. olim 15. scrip. cir. id. temp. cognoscimus, Nebridium aliàs ad Augustinum dedisse literas (quæ nunc desiderantur) & quibus S. Parens num. 1. respondet sic: „ Recentissimis literis tuis respondere malui, non „ quod contempserim præcedentia quæsita tua, „ minùsvè me delectaverint; sed quòd in res„ pondendo majora, quàm opinaris, molior. Quapropter cùm certum sit, Nebridium in suis literis movisse nonnullas de *Sole* quæstiones, vt patet ex num. 2. pro nunc non immeritò ressellendus est Moraines opponens S. Parenti: *Item dubitavit, nùm Sol, & Luna, aliaque sydera, quæ oculis conspicimus, sint animata.*

CRI-

CRITICA.

EPistolam XV. aliàs 113. script. an. 390. ad Romanianum Augustinus dedit: significans scriptum à se Opusculum de Catholica Religione transmitendum Romaniano ipsi. Hic certè Liber est, quem S. Parens lib. 1. Retr. cap. 13. nominat *de Vera Religione Librum*, scrip. circitèr an. 390. & de quo PP. Benedictini è Congregatione S. Mauri sub finem admonitionis ejusdem libri hæc verba tradunt. *Certè Liber de Vera Religione, si quis alius, hoc elogium* (alludens ad quod in Epistola 25. Paulini, de qua infrà profertur) *Augustino demerebatur. Etsi enim recens tùm, cùm eum scripsit, in veræ religionis partes perductus esset, nec alio quàm Christianæ Catholicæ nomine præditus; eo tamen sublimi modo Christianæ Religionis Sacramenta exponit, oppositorumque dogmatum in primis Manichæorum revellit fundamenta, vt jam absolutissimi doctoris, & strenuissimi Episcopi vices impleverit.*

POLEMICA.

EPistola XVI. aliàs 43. Scrip. cir. an. 390. Maximi Maudarensis ad Augustinum. In ea quę Maximus, vt Ethnicus, intendit excusare; à Paganis Vnum Deum variis nominibus coli, &c. Cui S. Parens respondet.

Epis-

EPistola XVII. aliàs 44. scrip. circ. id. temp. sed sic, vt ostendat indigna Paganorum, quibus respondeatur, digna, quæ rideantur... Et in fine hujus Epistolæ S. Parens sic fatur.
„ Ad summam tamen, nè te hoc lateat, & in sa-
„ crilega convitia imprudentem trahat, scias à
„ Christianis Catholicis, quorum in vestro oppido
„ etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mor-
„ tuorum, nihil deniquè vt numen adorari, quod
„ sit factum, & conditum à Deo, sed vnum ip-
„ sum Deum, qui fecit, & condidit omnia....
Nos addimus, ex hoc non sequi, nefas esse honorem, cultumvè SS. Martyribus impendere.

VARIA.

EX Epistola XVIII. aliàs 63. scrip. circ. id. tem. ad Cœlestinum, eruitur, Augustinum adversùm Manichæos Libros paratos & emendatos misisse ad eumdem Cœlestinum. Et nunc ut eos restituat, Augustinus rescribit. In fine verò Epistolæ hujus, Naturarum triplex genus S. Parens perstringit.

MORALIS.

EX Epistola XIX. olim 84. scrip. cir. id. tem. ad Gaium, cognoscimus, S. Parentem sua eficacissima disputatione traxisse ad Ecclesiam ipsum Gaium, qui ab ipsâ alienus anteà erat.

Et vt perseveret in bono proposito, à S. Parente adhortatur.

THEOL. DOGM.

EPistolam XX. aliàs 126. scrip. cir. id. tem. ad Antoninum dedit Augustinus, qui ei gratias refert pro existimatione bona, ac diligentià sibi impensâ; optatque S. Parens, vt tota Antonini Familiam Catholicam Religionem profiteatur. Hac igitur narratione, quod corde credimus, firmitèr tenemus, & verè confitemur, vnam fidem, & devotionem veram solam esse catholicam, hinc propugnamus.

THEOLOGICA.

EPistola XXI. aliàs 118. scrip. ineunte an. 391. ad Valerium Episcopum, à quo Augustinus in Presbyterum ordinatus erat. Cum enim argumentum istius Epistolæ sit, S. Parentem obsecrare Valerium, ut patiatur ipsum in secessu precibus & studio, ut sit idoneus imposito sibi muneri Presbyteratûs, & ad dispensandum fidelitèr Verbum Dei animabus; deducimus, Presbyteros & Predicatores teneri ad lectionem Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, qui illam sano, & catholico sensu abs dubio explanant.

EC-

EPistolam XXII. aliàs 64. scrip. circ. an. 392. ad Aurelium Episcopum Carthaginensem dedit Presbyter Augustinus, qui totus zelo Religionis indutus, & deflens commessationes & ebrietates per Africam in cæmeteriis & memoriis Martyrum frequentari specie religionis; doctrinam Nobis paravit, ut nunc defendamus, absurdum fœdumque esse Commessationes & ebrietates in honorem Beatorum Martyrum concessas, & licitas putari. . . Sed amplius perscrutator in hac epistola inveniet, si maturiùs adhibeat lectionem. Certè adinveniet, & Nos habemus ex n. 1. circa annum 392. jam erectum ab Augustino fuisse Monasterium, *in quo Fratrum Cœtus coalescere cœperat.*

THEOL. DOGM.

EPistolam XXIII. aliàs 203. scrip. cir. id tem. Maximino Episcopo Donatistæ, de quo Diaconum catholicum rebaptizasse dicebatur, Augustinus scribit, invitans illum vel ad colloquium, vel ad rescribendum, ut concordia Ecclesiæ sarciatur. Ex quo facto eruimus, baptismum semèl collatum, nunquàm esse iterandum.

EPistola XXIV. aliàs 35. scrip. sub fin. an. 394. ante hyemem. Quamvis Paulini sit ad Alipium, inter Augustinianas recensetur. In hacque Paulinus Alipio Episcopo notum facit, se Libros Augustini recepisse vt ex n. 1. *Accepimus enim insigne præcipuum dilectionis, & sollicitudinis tuæ, opus Sancti & perfecti in Domino Christo viri, fratris nostri Augustini libris quinque confectum, quod ita miramur, ac suspicimus, vt dictata diuinitùs verba credamus*... Num. 3. Paulinus se excusat, quòd seriùs miserit ad Alipium Eusebij Episcopi Constantinopolitani Historiam de cunctis temporibus.. Num. 4. Cupit edoceri de genere, & vita Alipii... Et n. 5. Paulinus de se ipso nonnulla aperit.

LAUDATORIA.

EPistola XXV. aliàs 31. script. cum super. à Paulino, ad Augustinum missa. In hac verò exquisitis laudibus Paulinus Augustinum exornat pro quinque ejus adversùs Manichæos libris, quos ab Alipio acceperat. Aliqua proferamus Epistolæ elogia in S. Parentem. Sub med. n. 1. Paulinus inquit: „ Hos igitur nunc libros lectio„ ni habeo: in his me oblecto; de his cibum „ capio, non illum, qui perit, sed qui operatur

„ vitæ æternæ ſubſtantiam per fidem noſtram, qua „ adcorporamur in Chriſto Jeſu Domino noſtro.. „ O verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, nè poſ- „ ſint ſæculi vaneſcere errore, condiuntur. O „ Lucerna dignè ſupra candelabrum Eccleſiæ po- „ ſita, quæ latè Catholicis vrbibus de ſeptiformi „ lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, „ denſas licèt hæreticorum caligines diſcutis, & „ lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplen- „ dore clarifici ſermonis enubilas.. Ille, qui plu- ra S. Parentis Auguſtini elogia ſcire exoptat, hanc Paulinianam Epiſtolam legat.

MORALIS.

EPiſtola XXVI. olim 39. ſcript. fortè an. ineunti 395. Licentio Juveni, docto, & nobili Auguſtinus timens, illum rebus mortalibus validiſsimè & pernitioſiſsimè compediri, hortatur ad mundi contemptum per hanc propoſtionem. Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem.

LAUDAT.

EPiſtola XXVII. aliàs 32. ſcript. cir. ineu. an. 395. ad Paulinum dedit Auguſtinus amplectens illius benevolentiam (de qua in Epiſt. 25.) & mutuum declarans amorem. Verba

ali-

aliqua hujus Epistolæ demus ex n. 2. „ Legi enim „ literas tuas fluentes lac & mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum, „ sentiens de illo in bonitate, & afferentes ei claritatem & honorem. Legerunt fratres, & gaudent infatigabilitèr, & ineffabilitèr; tam vberibus, & tam excellentibus donis Dei, bonis „ tuis. Quotquot eas legerunt, rapiunt, quia „ rapiuntur, cùm legunt. Quàm suavis odor Christi, & quàm fragrat, ex eis dici non potest. . . „ Et postea n. 3. Tu autem fecisti, vt non mihi „ parùm videatur, qui me in illa Epistola (25) „ tantis laudibus honorare dignatus es, ut cùm „ tibi me refundo, si parùm hoc putem, tibi „ non credidisse convincat. Pudet me quidem „ tantum boni de me credere, sed plus piget tibi „ non credere. Est quod faciam, non me credam talem, qualem putas, quoniam non agnosco; & credam me abs te diligi, quoniam „ sentio, & planè percipio: ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero.

ECCLES. DOGM.

EX Epistola XXVIII. olim 8. scrip. an. 394. aut 395. ad Hieronymum, cognoscimus, præcipuum argumentum esse de nova post 70. veteris Testamenti versione, deque Petro reprehenso à Paulo ad Galat. 2. .. Ex illaque sequentes

tes eruimus Theſes. Non ſtatim à morte Chriſti legalia fuerunt mortifera. .. Reprehenſio Petri à Paulo Epiſt. ad Gal. cap. 2. v. 11. vera, ſynceraque fuit ... Simulatio, officioſumvè mendacium nunquam licitum eſt. Prædictæ Concluſiones ex Epiſtolis 40. 73. & 82. deducuntur etiam, & in 180. ad Occeanum edocentur... Vtque omnis ergà præſentem controverſiam S. Parentis Auguſtini mens percipiatur, & effugia aliquorum diluamus; aſſerimus, Cepham reprehenſum à Paulo alium non eſſe à Principe Apoſtolorum; quin ex hoc ſequatur aut Petrum erraſſe in fide, aut Paulum procacem eſſe, ut blaſphemabat Porphirius.

ECCLES. MORAL.

IN Epiſtola XXIX. olim ejuſdem n. ſcrip. an. 395. Alipio Epiſcopo Thagaſtenſi Auguſtinus Presbyter Hipponenſium Regionum narrat; quod adhortationibus ex Libris canonicis, præcipuèque ex Epiſtolis Pauli obtinerat, ut Hipponenſes catholici abhorrerent à luxurioſis conviviis, quæ in SS. natalitiis apud Africanas Eccleſias celebrare mos erat. Hinc Nos propugnamus, quod Canon Hipponenſis Concilij celebrati an. 393. Concilio III. Carthaginenſi inſertus, ſcilicèt, *Vt nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſia conviventur... Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur*, haud dubiè, procurante Auguſtino tunc Presbytero, editus fuit.

EPIS-

Epistola XXX. aliàs 33. scrip. an. 395. ejusdem Paulini ad Augustinum, à quo cum rescriptum 27. Epistolam superiorem adhuc non accepisset: Vir ille Sanctus incredibili Augustini desiderio ex ipsius lectione incensus, ad S. Parentem secundas literas dedit Romana & Agili, vt sui in eum animi studium, & observantiam, simulque ejus desiderium flagrantissimum testarentur... Verùm cùm rescriptum huic Epistolæ deditum ad 2. classem Epistolarum spectet, Nostrum non est argumentum ampliùs ostendere. Pro nunc satis contenti prædictarum 30. Epistolarum argumenta præcipua sustinere, & Theses ex iisdem erutas (ad cujusvis libitum) propugnare, Deo Duce, & facem præferente S. Parente Augustino, felicitèr evenire non dubitamus. Quapropter.

Certamen aderit Literarium in hoc Collegio S. Acacij M. die 29. Januarii an. Dñi. 1767

Manè, & Vesperè.